

2 Disquisitio praeuia de origine et progressu Idololatriae.

in honore habuerunt: ingentem tamen *Deorum Minorum* numerum admittebant. Graecia certe Numinibus plena fuit; quandoquidem montes fere omnes, flumina atque fontes 4), totidem illis Dii erant. Nec sufficebat illis, quae à maioribus suis acceperant Numina, colere atque placare, sed noua quotidie prioribus adiciebant. Ceterum communior ueterum paganorum opinio erat, Deos in coelis praecipue sedes suas habere, sed ex sedibus istis coelestibus in terras nonnunquam descendere; ut e. c. *Mercurius* e coelo a Ioue missus in hanc terram modo, modo in ipsum quoque infernum delatus legitur. Deos item singulos loca quaedam prae aliis adamare fingunt Poetae. Sic *Iupiter* in siluae *Dodonaeae* fago habitare credebatur; *Neptunus* in mari domicilium habebat; *Apollo* Delphis et in monte Parnasso, *Mars* in Thracia, *Vulcanus* in Lemno insula, aut ardens Siciliae monte Aetna; *Minerua* Athenis, *Diana* Ephesi &c. immo profanum vulgus ipsis, quas diuino cultu prosequerantur, statuis Numina ista inesse credebant. Inde factum, ut pro diuersitate locorum, in quibus Deos suos commorari putabant, *Coelestes* alios, alios *Terrestres*, nonnullos etiam *Inferos* 5) appellarent.

§. 3. Romani duodecim maiores istos, quos supra ex *Ennii* carminae nominauimus, Deos *Consentes* 6) uocabant, quod idem ac *Consentientes* significare uolunt; eo, quod in consilium Iouis adhiberentur, eiusdemque deliberationibus consentirent. Alio nomine etiam *selekti*, 7) *Coelestes* et *Maionum gentium* 8) Dii appellabantur, quum alii contra *Minorum gentium Dii*, *Semidei* et *Semones* dicantur. *Semones* nonnulli dicti, quasi *Sembomines*, qui mediae quali conditionis inter maiores minoresque Deos essent, et ob meritorum paupertatem non digni iudicarentur, qui *Coelestibus* adscriberentur, *Terrestribus* tamen maiores reputati 9). Notari quoque merentur epitheta quaedam, quae Deorum nominibus a priscis addi nonnunquam solent. Sic *Auerruncos* 10) illos interdum cognominari notum est, quod mala auerruncant, prohibeant siue tollant; item *Indigetes* 11), quod uel ipsi nullius auxilio indigerent, uel nos ope ipsorum indigeamus; *Geniales* alii uocantur a *gerendo*, quod multa gerere posse putabantur; unde sequiori tempore etiam *Geruli* a nonnullis dicebantur 12). Poetae uero atque Mythologi innumera Diis epitheta tribuunt, quae uel ab ipsorum gestis et operibus, uel aliis causis desumuntur.

§. 4. Inter praecipuas autem Idololatriae causas 13) communi omnium consensu haec referatur: quod homines rerum diuinarum imperiti uiris quibusdam, qui uel rebus bene gestis quam maxime inclaruerunt, uel inuentis nonnullis ad uitam humanam opportunis nominis sui celebritatem commuerunt, statuas erexerint, ut eorum memoriam ad posteritatem transmitterent. Romani tamen, *Varrone* teste apud *Augustinum* de Ciuit. Dei V, 31. totos centum et septuaginta annos ab urbe condita sine ullis Idolis fuisse leguntur. Postea uero etiam aliunde aduecta est uesana religio, et eo creuit, ut Roma et omne illud imperium Romanum Deorum uariis simulacris, seque et alios illa impleuerit. Graeci uero aequae Romani depi-

- 4) Vid. libell. de *fluminibus*, *Plutarcho* tributus, & *Maussaco* et *Hudsono* inter *geogr. minores* editus.
- 5) Triplicis generis deorum sacra diuersa notat *Festus* uoce *Altaria*, et similiter scholiastes ad *Stusii* Thebaid. lib. 5. *Varro* ap. *Augustinum* de Ciuit. Dei, 3, 12, praeter hos, *marinos*, *flumiales* etc. nominat.
- 6) S. P. *Festus* seruauit nobis *consentia* sacra; *consere*, *considare*, uid. *Festus* Etymolog. nisi idem sit, ac qui *una* et simul sunt, ut praesens, absens, ita consens. *Homerus* *Στοι ἀνα δυνάδων*. *Consentes* deos nominat *Varro* de re rustica lib. 1. 1. idem de l. l. 7, c. 38, aedes *deum Consensum*. Hos *Plato* apud *Apuleium* de Deo Socrat. incorporeos et animales Deos existimat.
- 7) *Selecti* dii cum dicuntur, non *consentes* innuuntur soli, sed simul 8 alii, ut sint numero 20; ut *Varro* apud *Augustin.* de ciuit. Dei lib. 7, c. 2. *Ianus*, *Saturnus*, *Genius*, *Sol*, *Orcus*, *Liber* pater, *Tellus*, *Luna*.
- 8) *Cicero* *Tuscul.* 1. c. 13. *Coelestes*, *ιδουριος*, saepe appellantur. *Plautus* Deos *magnos*, *minutos* et *paucellarios* dicit in *Cistell.* 2, 1.
- 9) Ita *Fulgentius* de prisco sermone, num. 11. *Se-*

mideos, *Varro* apud *Augustin.* et alii nominant; *Hesiodus*: *ἀδρειος ἕκωντος θεοῦ γένος, οἱ καλεῖται Ηιδουριος*.

- 10) *Auerruncum*, Deum *unum* innuere uidetur *Varro* de lat. ling. 6, c. 5 post medium; graeci *ἀουερρονιος* etc. nominant.
- 11) *Virgil.* *Georg.* 1. ultimo: *Dii patrii, indigetes*, et ibi *Seruius*, qui etiam exponit, in diis agentes, Deos ex hominibus factos.
- 12) ex *Festo*, uoce *geniales*, *Marian.* *Capella* *Philol.* nuptiar. lib. 2. *Melius*, qui nos genuerint.
- 13) Vid. interpretes ad *Sapient.* 14, et in primis *Aug.* *Calmeti* dissertationem; *Fulgentii* *mythol.* lib. 1. c. 2. *Banier* *mythol.* expliquée par l'hist. tom. I. livre 1. qui tamen mythologiae causas iusto plus auget. *Bertholdus* de ara, thes. *Genauit* tom. 7. p. 373. seq. *Clascius* in thes. *Genauit* tom. 7. pag. 22. *Vossius* de theol. gentil. lib. 1. *Herbert* *Cherbury*; et *Varro* apud *Augustinum* de ciuitate Dei lib. 6, et 7, qui theologiam fabulosam, naturalem et ciuilem, eiusque rationes distinguit. *Histor.* uniuersalis, quae auspiciis S. V. *Baumgarten* prodidit tom. 1. et 3.